

Sed ita res habet : una ratio belli gerendi adversus Annibalem est, qua ego gessi. Nec eventus modò hoc docet (stultorum iste magister est), sed eadem ratio, quæ fuit futuraque, donec eadem res manebunt, immutabilis est. In Italia bellum gerimus, in sede ac solo nostro; omnia circa plena civium ac sociorum sunt; armis, viris, equis, com meatibus juvant juvabuntque : id jam fidei documentum in adversis rebus nostris dederunt. Meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diesque facit. Annibal contra, in aliena, in hostili est terra, inter omnia inimica infestaque; procul ab domo, procul a patria; neque illi terra, neque mari est pax; nullæ eum urbes accipiunt, nulla mœnia; nihil usquam sui videt; in diem raptò vivit; partem vix tertiam exercitus ejus habet, quem Iberum amnem trajecit; plures fames, quam ferrum, absumpsit; nec his paucis jam victum suppeditat. Dubitas ergo quin sedendo superaturi simus eum, qui senescat in dies, non com meatus, non supplementum, non pecuniam habeat? Quandiu pro Geronii, castelli Apuliæ inopis, tanquam pro Carthaginis mœnibus?

3° — *Paul-Emile ne doit pas tenir compte des rumeurs populaires.*

Sed ne adversus te quidem ego gloriabor. C. Servilius atque Atilius, proximi consules, vide quemadmodum eum ludificati sint. Hæc una salutis est via, L. Paule, quam difficilem infestamque cives tibi magis, quam hostes, facient. Idem enim tui, quod hostium milites, volent : idem Varro, consul Romanus, quod Annibal Pœnus imperator, cupiet. Duobus ducibus unus resistas oportet : resistes autem, adversus famam rumoresque hominum si satis firmus steteris; si te neque collegæ vana gloria, neque tua falsa infamia moverit. Veritatem laborare nimis sæpe aiunt, exstingui nunquam. Gloriam qui spreverit, veram habebit. Sine timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent : malo te sapiens hostis metuat, quam stulti